Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35466
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Miraculum de pisce.

Contigit aliquando beatum virum venisse ad sepedictum
imperatorem apud Liutice. Piscatores autem pro capiendis
piscibus ascenderant in piscinam, quam magnam sic-
ut lacum fecerat ibi imperator, et cum magne quanti-
tatis lucium cepissent, nescimus utrum casu
an divina ordinatione factum fuerit, idem lu-
cius exiliens de navi et elapsus de manibus eorum
recepit se in pristinam libertatem. Piscatores vero con-
turbati et conterriti dixerunt ad invicem: Proiciamus
rete in nomine illius episcopi, de cuius sanctitate tam preclara nar-
rantur, ad capiendum eundem piscem, qui fuga
lapsus est, et videamus si sermones illorum veri sunt,
qui hec de eo predicant, et si est vere dilectus Christi, resti-
tuat nobis piscem fugitivum. His dictis laxave-
runt rete, et ecce dextra domini fecit virtutem, et con-
prehenderunt eundem piscem. Quem cum optulisset
imperatori et ei factum narrasset, dixit: Non est noster, por-
tate ei cuius est. Eius enim est, in cuius nomine captus
est. Ad mandatum itaque imperatoris eundem piscem
optulerunt beato pontifici. Quid vobis
videtur? Nonne hic innovatum videtur fuisse
miraculum illud evangelicum, videlicet quod cum
discipuli per totam noctem laborantes nichil ce-
pissent, postea in verbo domini laxantes rete con-
cluserunt piscium multitudinem copiosam. Si-
militer isti piscatores, cum in captione illius piscis
quem amiserant in vanum laborassent, proicientes